

ALBERTUS NÈGRE

ARCHIEPISCOPUS TURONENSIS

SACRAE THEOLOGIAE DOCTOR



**DE ROMANI PONTIFICIS
INFALLIBILI MAGISTERIO**



CRACOVIAE 2018

www.ultramontes.pl



CURSUS
THEOLOGIAE DOGMATICAE
AD INSTITUTIONEM ET PRAEDICATIONEM
ACCOMODATUS

AUCTORE

ALBERTO NÈGRE

SACRAE THEOLOGIAE DOCTORE

ET IN SEMINARIO MIMATENSI PROFESSORE

DE ECCLESIA CHRISTI

PARS SECUNDA

DE CAPITE ECCLESIAE SEU DE ROMANO
PONTIFICE

CAPUT IV

DE ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILI MAGISTERIO

762. Tria in hoc capite sunt inquirenda, nimirum: 1° doctrinae de Romani Pontificis infallibilitate declaratio, 2° ejusdem doctrinae demonstratio, 3° modus quo discernitur locutio ex cathedra.

763. *Doctrinae de Romani Pontificis infallibili magisterio definitio et declaratio.* En canonem Concilii Vaticani (Sess. IV, cp. IV): «Itaque Nos traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse.

Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit».

764. *Definitionis elementa:* 1° In canone indicatur *ratio formalis sub qua* Romanus Pontifex dicitur infallibilis; quum nempe *loquitur ex cathedra.* Cathedra autem, non materialiter sed formaliter sumpta, est ipsa auctoritas docendi. Loquitur ergo ex cathedra Romanus Pontifex, cum ex auctoritate primatus Ecclesiam docet, i. e. quum munere fungens *Pastoris et Doctoris omnium christianorum, pro suprema sua auctoritate apostolica* docet. Scilicet Romanus Pontifex alia praestat ut homo et doctor privatus, alia ut summus Pontifex, Pastor et Doctor universalis omnium christianorum. Porro infallibilitas non tribuitur Romano Pontifici, quum loquitur ut doctor privatus, sed ut est Pastor et Doctor universalis.

2° Indicatur *causa infallibilitatis*, nempe *assistencia Spiritus Sancti*, promissa a Christo. Assistencia non consistit in revelatione positiva aut inspiratione, sed in ea efficacia Spiritus Sancti, qua ita regatur mens docentis, ut id solum certissime tanquam verum apprehendat et proponat, quod reapse verum est vereque tenendum ab omnibus. – Quae directio mentis tum *negative* se habet impediendo ne concipiantur falsa iudicia, neve formulae falsae adhibeantur, tum *positive*, excitando eas claras conceptiones quibus verum apprehendatur (1).

3° Indicatur *objectum infallibilitatis*, quod est doctrina *de fide vel moribus*: quae *strictiori vel latiori* sensu accipi possunt. Stricto sensu ea intelliguntur, quae sive *explicite* sive *implicite* a Deo revelata sunt credenda, facienda, adhibenda, licet fortasse nondum ab Ecclesia sufficienter proposita sint ad credendum fide divina. Sensu latiori ad doctrinam fidei et morum spectant, quae, in se non revelata, *connexionem tamen specialem habent cum veritatibus revelatis*, et sine quibus revelatio non posset bene explicari, custodiri, defendi. Jamvero Patres Vaticani directe definiunt objectum infallibilitatis, esse omnia quae stricte sunt fidei et morum, atque id negare esset haeresis. Sed non excludunt, imo indicant objectum infallibilitatis comprehendere quoque alias veritates peculiariter cum revelatione connexas. Nam definiunt Patres Vaticani Romanum Pontificem «ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam... instructam esse voluit». Sed Ecclesiae infallibilitas etiam ad ejusmodi veritates se porrigit. (n. 456).

4° Indicantur *definitiones* habendae ut infallibiles, quae nimirum sunt *ab universa Ecclesia tenendae*. His verbis datur intelligi ea sola esse infallibiliter definita, quae Romanus Pontifex pro sua suprema auctoritate edit *intentione obligandi universam Ecclesiam ad assensum*, quae intentio debet esse *manifesta et cognoscibilis* claris indiciis.

765. Non est confundenda causa infallibilitatis cum mediis praeparationis ad exercitium magisterii infallibilis, seu ad proferendam definitionem infallibilem. Hujusmodi enim media *humana* sunt, causa est *divina*; ea media ad statum praeparationis spectant, causa actum ipsum definitionis *immediate* attingit, quatenus per se eo spectat, quocumque tandem modo Spiritus S. operetur, ut ipse actus definitionis sit veritati conformis. Media requiruntur ut Pontifex secundum hominum mores recto modo procedat, non enim ipsi revelatio, sed assistencia promissa est; infallibilitas vero non ab iis mediis sed a causa, h. e., ab assistencia Spiritus S. repetenda est. Adverte tandem eam assistentiam nunquam deesse definitioni, ita ut, licet media illa non adhiberentur, definitio tamen infallibilis esset.

766. *Sententiae gallicanae* opposita fuit Vaticana definitio. Triplici elemento constat illa sententia. Nam 1° admittit unum esse in Ecclesia subjectum supremae auctoritatis; 2° subjectum illud esse universitatem Pastorum, et ideo in universitate episcoporum tantum inesse supremum magisterium, quod pars est essentialis ecclesiasticae potestatis, et infallibilitatem; 3° R. Pontificem, quod ex praecedentibus sequitur, subesse universitati Pastorum, ita ut ex se solo non sit infallibilis, ne duplex sit in Ecclesia auctoritas suprema (1).

767. THESIS XLV. – Romanus Pontifex, ex cathedra loquens, est ex sese infallibilis, non autem consensu Ecclesiae.

768. *Praenotiones.* Ad locutionem ex cathedra tria requiruntur: quod *subjectum* loquens sit Romanus Pontifex, prout est caput totius Ecclesiae, Vicarius Christi, Pastoris et Doctoris universalis munere fungens; quod *objectum* pertineat, sive directe sive indirecte, ad depositum fidei; quod *forma* locutionis sit ex definitiva sententia atque manifesta intentione obligandi universam Ecclesiam. – Romanus Pontifex dicitur ex sese infallibilis, quod propriam ejus infallibilitatem exprimit dependentem quidem a Deo assistente, omnino independentem a consensione sive expressa sive tacita Ecclesiae.

769. *Prob. Thesis.* – 1° *Ex natura primatus.* Romanus Pontifex, vi primatus, pollet vera, suprema et independente potestate in universam Ecclesiam. Atqui cum ejusmodi potestate necessario connexa est suprema et independens docendi potestas, i. e. magisterium ex sese infallibile. – *Prob. min.* Cum Ecclesia sit essentialiter societas credentium, in ea magisterium infallibile necessario existit. Porro si potestas legifera, judiciaria et coercitiva esset ab infallibili magisterio supremo sejuncta, hoc ipso non esset suprema, independens; siquidem a magisterio infallibili judicari posset, potestas autem quae iudicio alterius subjacet non est suprema et independens. Ergo.

770. 2° *Ex Scripturis.* a) Romanus Pontifex est *Petra Ecclesiae*: petra nempe quae principium est stabilitatis et unitatis Ecclesiae (Matt. 16, 18). Atqui Ecclesia est *una societas credentium*. Ergo R. Pontifex est *Petra fidei*, principium nempe unitatis et stabilitatis fidei Ecclesiae. Sed R. Pontifex nequit esse petra fidei nisi per suam fidem. Fides ergo R. Pontificis ita se habet ad fidem Ecclesiae, sicut fundamentum ad aedificium: videlicet principium est soliditatis, immobilitatis et constantiae fidei Ecclesiae; et ideo fides Ecclesiae firma non est sine fide R. Pontificis. Atqui fides labilis, deficiens, non infallibilis

nequit hanc habere relationem ad fidem Ecclesiae contra quam non sunt praevaliturae portae inferi. Ergo infallibilis est fides R. Pontificis. Infallibilis est vero prout est Petra Ecclesiae tribuens ei firmitatem. Ergo infallibilis est, et quidem ex sese R. Pontifex prout munus exercet supremi Pastoris.

b) Portae inferi non praevalerent adversus Ecclesiam propter firmitatem Petrae. Portae autem inferi sunt haereses et schismata, quae sane non praevalerent contra fidem Ecclesiae, quia fides Ecclesiae firmitatem habet a Petra. Itaque 1° nunquam praevalerent portae inferi contra fidem Petrae; secus enim et praevalere possent contra Ecclesiam; 2° firmitas fidei Ecclesiae contra haereses pendet a firmitate fidei Petrae, quae ex se firma est nec minus firma esse potest quam ipsa Ecclesia. Ergo R. Pontifex, qui est hujusmodi Petra fidei, est infallibilis, et ex sese infallibilis.

c) Probatur infallibilitas Pontificis verbis Lucae (22, 31, ss.): *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ex quibus sic arguimus: fides Petri, ac proinde Romani Pontificis, ea est pro qua *immediate* oravit Christus ne deficiat, et sic fidem fratrum suorum, omnium fidelium, etiam episcoporum confirmare valeat. Atqui fides ejusmodi est ex se firma, et nedum ab aliorum fide stabilitatem accipiat, huic firmitatem tribuit. Ergo fides R. Pontificis ex sese est infallibilis.

d) Idem patet ex potestate *pascendi oves et agnos Christi*, quam R. Pontifex in Petro suscepit. Nam R. Pontifex debet imprimis verbo doctrinae pascere Ecclesiam, quae eum audire et sequi tenetur. Sed Ecclesia infallibilis doctrinam falsam amplecti nequit. Ergo nec eam potest Ecclesiae proponere R. Pontifex. Jamvero si summi Pontificis solemniter definientis propositio non esset infallibilis et irreformabilis, nisi Ecclesiae consensus accesserit, re ipsa non R. Pontifex pasceret, sed pasceretur, quod est contra verba Christi Domini.

771. 3° *Ex Traditione.* Nonnulla tantum celeberrima testimonia adducemus: caetera videri possunt apud omnes auctores recentiores, ut *Palmieri, Mazzella, Hurter...*

1° Imprimis habemus *Hormisdas* formulam quae Orientis episcopis, qui schismatis Acaciani participes fuere, praescripta fuit subscribenda: «Prima salus est regulam rectae fidei custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non potest D. N. J. Christi praetermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica *immaculata est semper catholica reservata religio et sancta celebrata doctrina.* Ab hujus ergo fide et doctrina

separari minime cupientes..... Spero, ut in una communione, quam sedes apostolica praedicat, esse merear, *in qua est integra et vera christianae religionis soliditas*, promittens etiam sequestratos a communione Ecclesiae catholicae, i. e. non consentientes sedi apostolicae, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria». In hac formula aperte asseritur R. Pontificis infallibilitas; siquidem «in sede apostolica *immaculata semper* fuit servata religio». Quod non per accidens contigit, facti enim datur ratio, quia nempe dictum est Petro: *Tu es Petrus*. Doctrina ejusdem formulae fuit ab universa Ecclesia suscepta, ei enim subscripserunt tum Orientis tum Occidentis episcopi.

Doctrina de R. Pontificis infallibilitate expressa reperitur etiam in Concilio Lugdunensi II, nam, ut refert Vaticanum: «approbante Lugdunensi Concilio II, Graeci professi sunt: Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in b. Petro Apostolorum principe sive vertice, cujus R. Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae *de fide* subortae fuerint *quaestiones, suo debent iudicio definiri*». Quibus verbis R. Pontifex exhibetur iudex *supremus*, in causis fidei quaestiones dirimens. Sed in Ecclesia infallibili, cujus infallibilitas derivat a supremo magisterio, ille profecto qui iudicio supremo et peremptorio quaestiones fidei dirimit, ex sese infallibilis sit oportet.

Tandem satis erit cum eodem Concilio Vaticano provocare ad synodi *Florentinae* definitionem, a qua statuitur: «Pontificem Romanum verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in b. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. Christo plenam potestatem traditam esse». Agnoscitur ergo R. Pontifex ut omnium christianorum Doctor, plenam habens potestatem, non solum regendi, sed pascendi, h. e. docendi. Sed qui est totius Ecclesiae doctor cum potestate plena docendi, qua talis acceptus, est ex sese infallibilis, secus plenam non haberet potestatem. Ergo.

772. THESIS XLVI. – Ut definitio ex cathedra dignoscatur, sufficit ut in ea appareant notae ex Concilio Vaticano ad ejusmodi definitionem requisitae.

773. Praenotiones. – Statuere volumus Romanum Pontificem loqui posse ex cathedra, adhibendo quamlibet formam, eam nempe eligendo quae sibi arriserit. Idque statuimus contra nonnullos qui putare videntur R. Pontificem

non loqui ex cathedra, nisi formam peculiarem, v. g. encyclicae, aliasque hujusmodi adhibeat.

774. Prob. Thesis. – Ex definitione Vaticana haec elementa certe sufficiunt, ut definitio Pontificis sit ex cathedra et infallibilis, 1° quod auctoritate sua Apostolica utatur, fungens munere Pastoris et Doctoris omnium christianorum; 2° quod definiat doctrinam de fide vel moribus tenendam ab universa Ecclesia. Atqui in iis elementis sufficiens habemus criterium quo discernamus Romanum Pontificem loqui ex cathedra; cum eis enim notis possumus percipere utrum Pontifex suam supremam exercet auctoritatem, utrum videlicet ut Pastor et Doctor omnium definiat doctrinam de fide vel moribus tenendam ab universa Ecclesia. Id autem sensibilibus constare potest, et R. Pontifex sive explicitè, sive in ipso auctoritatis exercitio, potest significare se definitionem edere ut Pastorem et Doctorem omnium christianorum, seque definire doctrinam quae ab universa Ecclesia tenenda sit. In his habentur omnia requisita ut fidelibus constet decretum editum a R. Pontifice esse infallibile et irrefragabile; eadem etiam reperiri possunt in locutione Pontificis, quaecumque forma tandem ab eo adhibeatur. Ergo in vanum requireretur modus specialis ut discernatur definitio ex cathedra. – Id ratione ipsa confirmatur. Nam cum natura suppeditet omnibus hominibus plures modos significandi suam voluntatem, nulla est necessitas cur haec facultas, a natura omnibus facta, limitetur in R. Pontifice.

Attamen etsi, per accidens, opus foret talem modum determinare, i. e. modum quo R. Pontifex docens censendus sit loqui ex cathedra, hujus rei determinatio ipsi prorsus relinquenda esset: inutilis enim foret quaecumque alia determinatio; nam si ipse nollet suam auctoritatem secundum determinationem ab aliis praefixam exercere, eo ipso actus illo modo positus non esset exercitium supremae auctoritatis.

775. Corollaria. – 1° Ex modo dictis inepti esse intelliguntur qui, post Vaticanam definitionem infallibilitatis R. Pontificis, postulant aliam conciliarem definitionem qua doceamur modum, quo decreta fidei a R. Pontifice edi debent, ut habeantur ab omnibus tanquam ex sese irrefragabilia.

2° Falsum quoque est, ex dictis modo et alibi de assistentia Spiritus Sancti (n. 764, 2°), quod quidam supponunt, certitudinem fidelium de infallibili definitione R. Pontificis pendere, veluti ex conditione, a notitia, quam iidem antecederent habere mediorum, quibus R. Pontifex usus est et ad actum definitionis se praeparavit. Licet enim teneatur inquirere doctrinam traditam, infallibilitas sententiae a sola pendet Spiritus S. assistentia.

776. THESIS XLVII. – Data etiam infallibilitate R. Pontificis, intelligitur quomodo episcopi sint magistri authentici verique iudices, etsi non supremi, in causis fidei.

777. Prob. Thesis. – Ille dicitur in Ecclesia *magister*, seu *doctor authenticus*, qui, ex officio divinitus instituto, jus et obligationem habet custodiendi, praedicandi, propagandi doctrinam revelatam, et consequenter jus exigendi fidem doctrinae a se traditae. *Judex* generatim ille est qui ex publica auctoritate sententiam fert super aliqua controversia, cui sententiae parendum sit. Atqui omnes Ecclesiae episcopi sunt magistri authentici et iudices in causis fidei; siquidem singulis episcopis in collegio Apostolico, cui succedit episcopale collegium, dictum est a Christo: *docete*; siquidem singulos Spiritus Sanctus posuit in Ecclesia, ut regat quisque gregem sibi assignatum, et gubernet auctoritate episcopali, seu ea externa jurisdictione cujus pars est de facto potestas docendi.

Notandum est insuper quod alius est magister et iudex *supremus*, alius *subordinatus*. Prior ille est qui docendo et iudicando neque normam recipit ab alio, neque ab alio corrigi potest: posterior, jus habet quidem docendi ferendique sententias judiciales, sed ita ut ab alio superiore normam recipiat et ab eo corrigi possit, si quae erronea, licet iudice, docuerit vel iudicaverit. At nullo modo est de essentia iudicis, ut ipse iudicii legem statuatur et ab eius sententia appellari non possit; et eadem ratio est magisterii.

His positis, intelligimus prae omnibus episcopis, sive seorsim sive simul sumptis, ex divina institutione, *Magistrum et Iudicem fidei supremum* et independentem esse unum Romanum Pontificem; at non ideo prohiberi, ut simul cum eo sint alii *magistri et iudices fidei*, ipsi tamen supremo *subordinati*. Tales autem sunt episcopi, quorum proinde sententia est vere authentica et iudicialis, licet non ex sese irrefragabilis et peremptoria. – Jamvero ex definitione Vaticana infallibilitatis constat R. Pontificem esse iudicem supremum et magistrum in fide. Ergo haec definitio non prohibet quominus sint alii, nempe episcopi, iudices et magistri in fide, licet subordinati.

778. Quaeres: Quomodo episcopi sunt iudices et magistri in fide? – *Resp.:* Considerari debent vel singuli docentes in sua dioecesi, vel in synodum oecumenicam adunati. Sub hoc ultimo respectu episcopos considerabimus in quaestione de Conciliis oecumenicis, nunc ad primum respectum attendimus.

Singuli episcopi in sua dioecesi ita sunt *magistri authentici et iudices fidei*, ut ab eorum sententia quidem appellare liceat, eorum tamen sententiam, quia ex auctoritate prolatam, quisque fidelis subditus debeat revereri, si agatur de re nondum definita aut satis clara in Ecclesia. Imo cum episcopi in suis ecclesiis docent et obsequium requirunt juridice praesumendum est eorum doctrinam esse veram, seu catholicam, i. e. doctrinam cathedrae Petri. (Cf. Palmieri, *De Romano Pontifice*, Thes. 28, n. II).

Cursus Theologiae Dogmaticae ad institutionem et praedicationem accomodatus. Auctore Alberto Nègre, Sacrae Theologiae Doctore et in Seminario Mimatensi Professore. Tomus primus. *De Religione Vera, de Ecclesia Christi, de Traditione et Scripturis, de Fide Divina.* Mimat. EX TYPOGRAPHIA C. PAUC. 1896, pp. 386-396. (a)

Imprimatur

† NARCISSUS,

Episcopus Mimatensis.

Notae:

(1) Sic se exercet assistentia Spiritus S. respectu personae docentis; relate ad eos in quorum bonum infallibilitas est instituta, assistentia haberi potest prorsus extrinsece, ut si doctorem supremum, volentem aliquid proponere quod falsum sit, morte praeoccuparet, ne falsum Ecclesia doceatur.

(2) Error Gallicanorum non solum impetit infallibilitatem sed etiam primatum R. Pontificis. In Oriente jam a saeculo IX patriarchae Constantinopolitani Sedi Apostolicae denegabant supremam jurisdictionem, ipsi tribuentes solum primatum honoris. In Occidente suprema jurisdictio Pontificis fuit theoretice quidem recognita usque ad Concilium Constantiense. Tum vero Petrus Alliacensis potissime ac deinde ipsi Patres Concilii declararunt synodum oecumenicam esse Papa superiorem. Exstincto schismate per electionem Martini V, non fuit exstinctus error, quem renovavit concilium Basileense et consummarunt Protestantes. Sub influxu Protestantismi, contra primatum S. Sedis multa erronea scripserunt Richerius, Antonius de Dominis et Petrus de Marca. Richerius (in suo opere *de potestate ecclesiastica et politica*) docet potestatem ecclesiasticam a Christo fuisse collatam populo christiano, a quo illam receperunt Petrus et Apostoli. Unde R. Pontifex non est vicarius Christi, sed *caput ministeriale* multitudinis: est inferior concilio oecumenico. Eadem fere alii tenuerunt.

Postea venit celebris *Declaratio episcoporum gallicanorum* 1682. Quatuor propositiones hujus declarationis ad haec principia reducuntur: 1° Papa nullum jus habet,

neque directum neque indirectum, in potestatem civilem, – 2° Papa est canonibus Ecclesiae subditus, – 3° Concilium generale est supra Papam, – 4° judicia R. Pontificis non sunt irreformabilia, scilicet Papa non est infallibilis. – Quatuor articulos Declarationis reprobavit Alexander VIII ut *nullos, irritos, invalidos*. Eorum tamen doctrinam propugnarunt Febronius, Janseniani et concilium Pistoriense. Imo saeculo XIX, a multis in Gallia tenebantur praefati articuli, et ex decreto civili 1817 Declaratio ipsa in Seminariis tradi ac edoceri debebat. Verum ab anno 1830 ad 1870 paulatim deseritur a clero gallicano. Fortiter tamen in synodo Vaticana impugnarunt gallicani R. Pontificis infallibilitatem (hac enim negata, rejicebatur primatus jurisdictionis). Incassum tamen, et adhuc semel, devicto errore, praevaluit Ecclesia contra Inferi portas.

(a) Cf. 1) S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, Ordinis Praedicatorum, [*Summa Theologica. Num Papa mortuo remaneat ejus potestas. – Ad quos electio Summi Pontificis pertinet.*](#)

2) Sac. Petrus Semenenko CR, [*Papa semper idem sit formaliter qui et materialiter \(Papież zawsze ten sam jest formalnie, co i materialnie\).*](#)

3) Codex Juris Canonici, Pius Papa IV, [*Professio Catholicae Fidei \(Wyznanie Wiary katolickiej\).*](#)

4) S. Pius Papa X, [*Jusjurandum contra errores modernismi \(Przysięga antymodernistyczna\).*](#)

5) S. Pius Papa V, [*Catechismus Romanus ex decreto Concilii Tridentini \(Katechizm rzymski według uchwały świętego Soboru Trydenckiego\).*](#)

6) Urbanus Papa VIII, Benedictus Papa XIV, [*Professio Fidei Orientalibus praescripta \(Wyznanie Wiary dla chrześcijan wschodnich\).*](#)

7) Sac. Josephus Papp-Szilágyi de Illyésfalva, [*De electione Romani Pontificis.*](#)

8) D. Henricus Maria Pezzani, [*Codex Sanctae Catholicae Romanae Ecclesiae. Can. 26. Devius a fide catholica, haereticus, vel schismaticus eligi prohibetur in Romanum Pontificem; si eligatur nulla est electio \(Kodeks Świętego Katolickiego Kościoła Rzymskiego. Kanon 26. Zakazany jest wybór na Papieża tego, kto odstąpił od wiary katolickiej, heretyka lub schizmatyka; jeśli ktoś taki zostanie wybrany, wybór jest nieważny\).*](#)

9) P. Ferdinandus Cavallera SI, [*Thesaurus doctrinae catholicae ex documentis Magisterii ecclesiastici.*](#)

10) P. Dominicus M. Prümmer OP, [*Manuale iuris canonici in usum scholarum.*](#)

11) P. Christianus Pesch SI, [*Compendium Theologiae dogmaticae.*](#)

12) S. Alphonsus Maria de Liguorio, Ecclesiae Doctor, a) [*Opera dogmatica. \(Ex italico sermone in latinum transtulit, ad antiquas editiones castigavit notisque auxit Aloysius Walter CSsR\).*](#) b) [*De Mariae gloriis.*](#)

13) Pius Papa XII, a) [*Litterae encyclicae "Mystici Corporis Christi" \(Encyklika "Mystici Corporis Christi", O Mistycznym Ciele Chrystusa\).*](#) b) [*Enchiridion indulgentiarum.*](#)

(Notae ab ed. *Ultra montes*).

CURSUS
THEOLOGICÆ DOGMATICÆ

AD INSTITUTIONEM ET PRÆDICATIONEM
ACCOMMODATUS

AUCTORE

ALBERTO NÈGRE

SACRÆ THEOLOGICÆ DOCTORE
ET IN SEMINARIO MIMATENSI PROFESSORE

—•••••—

TOMUS PRIMUS

De Religione Vera, de Ecclesia Christi, de Traditione
et Scripturis, de Fide Divina

—•••••—

MIMATI
EX TYPOGRAPHIA C. PAUC
—
1896

([HTM](#))

© *Ultra montes* (www.ultramontes.pl)
Cracovia MMXVIII, Kraków 2018